DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS NIMMO,

SCOTO-BRITANNUS.

"Βούλομ' ἐγω λαον σοον ἐμμεναι ἢ απολέσθαι."

'OMHP.

"Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
"Regumque turres." Hor.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

GULIELMO NIMMO STEVENSON, M. D.

DE *GILMERTON*,

CLARISSIMO AMICORUMQUE OPTIMO;

OMNIBUS VIRTUTIBUS,

QUÆ

HOMINEM ET CIVEM EXORNANT,

EXIMIE CONSPICUO;

OB AMICITIAM VERE PATERNAM,

ET MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Roberto Nimmo, Auctore.

A Culleno celeberrimo illo medico et nosologo, Pneumonia ad classem Pyrexiarum et ordinem Phlegmasiarum refertur, atque verbis sequentibus definitur.—" Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis; tussis." Signa in hac definitione brevi memorata, utrisque formis communia sunt, neque per se morbi satis naturam explicant. Pe-

ripneumonia vel Pulmonitis ab eo definitur. "Pneumonia (Peripneumonia), pulsu non semper duro, aliquando molli; dolore thoracis obtuso: respiratione perpetuo difficili, sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumque humida, sæpe cruenta." Ab eodem definitur Pleuritis; "Pneumonia (Pleuritis,) pulsu duro; dolore plerumque lateris, pungente, sub inspiratione præsertim aucto; decubitu in latus molesto; tussi dolentissima initio sicca, postea humida, sæpe cruenta." Hæ definitiones quippe quæ signa utrisque formis propria complectuntur, utilissimæ sunt, ideoque dignæ quæ memoria teneantur.

DE SIGNIS.

Morbus hic fere cum frigido stadio aggreditur, cui illico calor totius corporis auctus, cum pulsu arteriarum frequentiore, qui simul plerumque validus et durus est, quamvis aliquando, præcipue in hoc morbo provecto, debilis et mollis observatur; spiritus difficultas, dolor et tussis ur-

gent, et præcipue dolor aut acutus aut obtusus in aliqua thoracis parte; sub inspiratione auctus est, sed aliis alia: modo sub osse pectoris sentitur, modo inter scapulas: cum latus aggreditur, sæpissime circiter mediam partem sextæ aut septimæ costæ cruciat. Dolor, si in pulmonibus inflammatio sit, obtusior est; atque in parte dolente, æger, ut ipse putat, potius onus et angustiam præsentit.

Respiratio difficilis in aliis major est, in aliis minor, prout pulmo ipse aut pleura inflammatione afficiatur, et perficitur facilius in positionibus quibusdam corporis quam in aliis: facilior plerumque, si non semper, est, ægro erecto, quam si in latere vel supinus jaceat.

In hoc morbo ægri tussi vexantur; quæ omnia cætera mala graviora reddit: et sæpe primum humida, in quibusdam exemplis autem primo sicca est, sed morbo provecto plerumque humida fit, et multa pituita subflavida, vel albida, nonnunquam sanguine tincta, e pulmonibus ejicitur. Aliquando ægrum urget tussis sicca, quæ nihil quicquam

emollitur: dum medicamenta et remedia efficacissima adhibita fuerunt. Facies turgescit, rubescit, aut purpurescit; livescunt labia, atque lingua, fauces internæ asperæ et subfuscæ videntur: oculi turgescunt, et prominent, sanguine suffusi præter solitum rubescunt. Urina initio parca, tenuis et pellucida est, postea rubra, atque frigida, sedimentum lateritium deponit. Alvus varia est, sed plerumque tarda, et astricta.

Sin inflammatio neglecta, per pulmones et partes vicinas tendit, et tandem transitum sanguinis liberum per viscera impediendo, vasa cervicis tumida fiunt; et, denique suffocatio horribilis inducitur; vel si res aliter se habet, aut suppurationem movendo, aut gangrænam efficiendo, lethalis est; urget angor, haud tolerandus; sudores frigidi in fronte et temporibus oriuntur, intumescunt extremitates, singultus, subsultus tendinum, delirium adsunt, demumque mors quietem miseris affert. Nequaquam autem semper in mortem abit, namque secundo die, interdum serius, mucum copiosum albidum, et satis spissum, expectorat æger, cui exiguæ striæ sanguinis intermiscentur; tum

inflammatio plerumque paulatim subsidet, neque diutius in periculo ille versatur.

DE FINIBUS.

Vulgo dicitur, Pneumoniam resolutione, suppuratione, aut gangræna finiri; modo fit ut ex patulis arteriarum osculis, humor sanguineus aut serosus in saccum pleuræ, aut in pulmonum substantiam parenchymatosam, exudat, et tanta copia ut ocius vel serius ægrum suffocet.

DE RESOLUTIONE.

Morbum hunc resolutione desiisse dicitur, cum signa generalia, et pectoris interni affectus prorsus conquieverint, homine in bona valetudine relicto antequam morbus invaserit, et partes quæ priore inflammatione affectæ fuerant, paulatim conditionem naturalem recuperant. Resolutioni non adest exinanitio quædam manifesta, quale est sputum liberum, copiosum, subflavum, satis spissum, cui intermistæ exiguissimæ sanguinis striæ observantur; et si hæc expectanda est, sanguinis e naribus profusio, aut e venis hæmorrhoi-

dalibus, alvi profusio, sudor copiosus per totum corpus diffusus, febris, spirandi difficultas, dolor et tussis, remittunt. Inflammatio quando intra dies septem, aut quatuordecim, non resolvitur, nec per expectorationem repurgatur, in suppurationem ruit.

DE SUPPURATIONE.

Indicia sunt, dolor cessans, et sensus plenitudinis in parte affecta, febris sine causa manifesta inordinate exacerbata; interdiu mitior, vespere gravior; horroribus frequentibusque interdum, genarum deinde rubore stipata, demum loco in quo dolor antea vexaverat, tussis magna præsentitur, spiritus fœtet, et respiratio minus dolens, sed magis oppressa. Sudores multi circa pectus aut collum erumpunt; malæ subinde rubent: oculi cavi fiunt: tussis et tussiendi cupiditas vexant: latus porro quod abscessit et in quo pondus insidet, altero calidius esse solet, et sæpe dolet et extrorsum intumescit; abscessus magni, sacco late rupto. Æger mox fere strangulatur, sed si pus

collectum, et hiatus sacci qui eum continet parvus, tota quantitas ejus paulatim exscreatur. Contra, abscessus sedem prope superficiem habet, non raro in substantiam spongiosam pulmonis irrumpit, et Empyema gignit.

Empyema pus autem ex vomica interdum in saccum pleuræ erumpit; pus effusum in hunc saccum medicis sese sonitu fluctuante prodit. Empyematis definitionem sequentem CULLENUS edidit: "Post Pneumoniam suppuratione terminatam, sæpe post vomicam, remissio doloris, dum perstant dyspnœa, tussis, decubitus difficilis, et febris hectica, sæpe cum sensu liquoris in pectore fluctuantis et signis hydrothoracis." Haud raro etiam tument pedes, in urina aliquid sedimenti albidi, fœtentis aut tenacis subsidet; anima fœtet; corpus macie contabescit.

Suffocatio.—Effusio sanguinis vel lymphæ in cellulas aëreas pulmonum, Pneumoniam nonnunquam infert, nimirum quæ vasa hujus visceris comprimendo, liberum sanguinis transitum impe-

dit. Hinc tumor cervicis vasorum, et color vultus purpureus, ut supra dixi, oriuntur.

Suffocatio quoque ex lympha in ramulos bronchiorum, vel cellulas pulmonis effusa, nonnunquam fit. Observandum est, Pneumoniam interdum crustam mollem, ab superficie interna pleuræ secretam, et etiam effusionem humoris tenuis albidi in thoracis cavis, efficere: et etiam effusionem in cavo pericardii fere reperiri.

DE GANGRÆNA.

Hæc terminatio rarissima est: ubi igitur incipit, jam dolor evanescit, sine causa manifesta; ejus loco pondus in pectore percipitur, viresque summopere dejiciuntur, pulsus fit parvus, debilis, celer et inæqualis, facies pallida, et tetra, interdum rubra; extremitates frigescunt, sputum nigrescit, sæpe etiam fœtet: latus interdum quod dolor vexavit, macula livida aut nigra fœdatur, delirium, et brevi tempore mors scenam claudit.

DE CAUSIS.

Causæ Remotæ,—sunt eæ quæ corpus supra modum implent, ac omnibus aliis morbis acutis, homines obnoxios reddunt; hinc patet cur saniores ac validiores sæpissime hoc morbo afficiantur, et cur eidem magis opportuni sint, quam qui ex morbis inveteratis vel aliunde debilitati fuerunt. Illa quæ corpora hominum supra modum implent, sunt carnium vinique usus immodicus, alvus tarda, exhalatio cutis parca, somnus nimius, et similia. Inflammatio pulmonis, seu ejus membranarum viros frequentius quam fœminas aggrediens, majori illorum plenitudini, et causis excitantibus sæpius illis admotis, attribuenda est.

Quædam ætas Pneumonia favet, rarissime apparet vel citra pubertatem vel in ætate provecta, et frequentissime occurrit intra annum ætatis quadragesimum quintum et sexagesimum, sed nulla ætas, nec sexus, ab ejus impetu immunis

est: ille cui structura thoracis prava est, etiam Pneumoniæ pronus sit.

Causæ proximæ,—sunt eæ quæ in opportunis corporibus morbum excitant; aut faciunt, ut pulmones sanguine nimio impleantur, aut impediunt ne sanguis, quamvis copia modica, per eos expedite transmittatur. Quæ hæ sint, paucis dicendum est. Primi generis est frigus cum humore summo corpori admotum, frigus corpori frequentissime hieme et vere illatum, calore ingente subito subsequente: magna vis exercitationis: tussis vehemens, crebra et longa: vehementissimæ animi concitationes: meri intemperantia: ingluvies: et omnia qualiacunque molimina. Secundum genus omnia comprehendit, qualiacunque sint, quibus obstatur ne per pulmones sanguis libere transeat: hujusmodi sunt pulmo nimis extensus, vel multum loquendo, vel cantando, vel instrumenta musicæ inflando; ventriculus cibo et potu gravatus, et septi transversi descensum impediens: acria in pulmones recepta, seu chemica, seu mechanica, vis externa, et metastasis ab aliis morbis, interdum malum excitant.

DIAGNOSIS.

Morbi quibus Pneumonia est similis, sunt Catarrhus, Gastritis et Hepatitis.

Catarrhus.—Signa pyrexiæ in Pneumonia magis vehementer quam Catarrho urgente, ardent: hoc præsente, respiratio minus est difficilis, et pectoris dolor abest. Sed confitendum est, tantam haud raro his morbis similitudinem esse, ut medici peritissimi accurate et certe distinguere nequeant, uter urgeat.

Gastritis.—In Gastritide dolor regionem epigastricam et hypochondriacam sinistram solummodo occupat, et ab omnibus in ventriculum assumptis augetur; æger perpetua nausea et vomitu vexatur, pulsus frequentissimus et imbecillis, simulque vires plus in hac quam in Pneumonia, aut in cujusvis alius partis inflammatione, sunt imminutæ; his notis præsentibus, Pneumonia ab Gastritide facile dignosci poterit.

Hepatitis.—In Hepatitide, dolor in hypochondrio dextro situs est, et pressura plerumque plus minusve augetur, atque subinde ad claviculam et summum ejusdem lateris humerum pertendit; spirandi difficultas magis in Pneumonia quam in Hepatitide urget: in hac, facies pallida, et haud raro subflava, etiam oculorum tunicæ scleroticæ, ac urina, fellis resorptionem indicant, atque tussis plerumque per totum morbum sicca est.

PROGNOSIS.

Ubi signa ab initio mitia fuerunt, neque cito increscunt: Si febris levis sponte aut post medicinam sumptam remittit, et dolor itemque tussis; ubi æqualiter corpore toto sudor tepidus oritur, et calorem ejusdem paulatim temperat; si sputum sit satis copiosum, subalbidum vel flavum, exiguis sanguinis striis variatum, et pauxillum hujus e naribus distillat, aut si post hunc detractum dolor, spirandi difficultas, et febris le-

ventur, morbus ad resolutionem spectare habendus est, et prognosis fausta est.

Ubi ab initio febris vehemens, dolor acutus cruciet et respirationem impediat, aut dolor obtusus summam spirandi difficultatem inducat: aut si dolor in statu primo uni lateri pectoris solummodo infixus ad alterum tendat: si æger in unum solum latus vel supinus decumbere possit; aut speciatim, si non nisi corpore erecto, et etiam tum haud facile, spirare possit: si morbus medicamentis idoneis, remediisque, mitigari recusat: et horror subinde corpus percurrit, sputum cessans, et tussis, et excretio, dum effusus quilibet humor, in cellulis aërem vehentibus pulmonum continetur, vires effugisse, atque mortem instare, indicant. Ubi dolor subito cessat, pulsus parvus, celerrimus, inæqualis, et simul facies cadaverosa, hæc gangrænam, laboranti parti supervenisse, neque diutius ægrum servari posse, ostendunt. Ubi expectoratio fœtida est, sudores frigidi circum caput, collum et humeros, erumpunt: vasa cervicis turgent; extremitates frigescunt. Labia arida et nigra, lingua retracta ad palatum, cutis squa-

lida, fœtor ex omnibus partibus corporis, urina rubra et fœtida, spiritus et sudor fœtidus, fæces fœtidissimæ, sitis magna, abdomen tumidum, omnia signa infaustissima sunt.

DE RATIONE MEDENDI.

Quo discutiatur inflammatio, medici debent non solum ægro præcipere, ut ab omnibus quæ ipsum stimulent et irritent, summopere abstineat, sed sanguinis missione, purgatione leni alvi, et post sanguinis detractionem exulceratione ei quoque subvenire. De his itaque deinceps paucis dicendum est. Ægros abstinere non solum oportet a carnibus, potulentisque meracioribus, sed etiam silentium sibi indicere, et simul cavere omnia quæ, fauces irritando, tussim exasperent. Æger cavere debet, ne corpus nimio extrinsecus calescat, et eum surgere identidem e lecto, aut levibus vestimentis tectum decumbere oportet; cubiculi calor esse debet, uti Cullenus putat, inter gradum thermometri Fahrenheitiani quinquagesimum et sexagesimum.

Sanguinis detractio subita, vena brachii incisa, haud dubie auxilium potentissimum est; et, igitur, omnium princeps ad Pneumoniam, et revera ad omnes viscerum inflammationes acutas, subigendas. Cum hæc inflammatio adesse observatur, ad hoc remedium efficacissimum, medicum quam celerrime confugere oportet. Ex brachio lateris dolentis mittendum mavult CULLENUS; sed, ut nobis videtur, nihil interest, dummodo e plaga ampla et pleno rivo effuse effluat. Quantum sanguinis prima vice detrahendum est, violentia signorum, ratio virium et corporis indoles, ætas aliaque, docebunt. Si dum effluit sanguis, dolor mitescit, et spirandi difficultas levior sit, profluvium inhibeatur; morbus quoties sic recrudescit, si opus sit, eadem ut antea copia, vel majore, sanguis denuo mittendus est.

Quod ad repetitionem hujus remedii pertinet, si dolor et spirandi difficultas perstent, imo vero, si post remissionem redierint, et si respiratio plena sit, et si pulsus arteriæ radialis durus ea signa comitetur, vena secanda erit, et quantitas sanguinis magna vel parva, secundum statum

signorum et pulsus etiam in eodem die. Aspectus sanguinis missi medicum de hac re hærentem juvet; minime vero prætereundum est, materiam albam corii instar, in sanguine formatam, non posse haberi signum certum inflammationis præsentis, scilicet quæ sanguini sanorum nonnunquam adest; hæc superficies coriacea alba, cum motu arteriarum valido et firmo exinanire venas donec indicia cessaverint, medicum sinit et postulat. Postquam vires ægri patiantur, detractio localis hirudinibus, vel cucurbitulis cum ferro, non tantum non periculosa sed utilissima erit: hirudines vel cucurbitulæ parti affectæ quam proxime admovendæ sunt.

Purgatio.—Cathartica lenia salina, ex iis quæ refrigerant, plerumque tuta sunt, et semper utilia, et injectiones frequentes emollientes multum prosunt.

Emplastrum meloës vesicatorii ad pectus, adversum sedem doloris, admotum, ad resolvendum morbum plurimum operæ confert, et repeti debet, donec dolor, spirandi difficultas, effugerint.

Demulcentia.—Medicamenta demulcentia omnia ad fauces illinendas, et ideo ab acri pituita quæ ejicitur, et quæ tussim frequentem excitat, defendendas, sæpissime sumi debent: hujusmodi autem medicamentorum tria genera sunt, scilicet Oleosa, Glutinosa seu mucosa, et Dulcia; ad primum pertinent, oleum amygdalinum, oleum olivarum, et sevum cetarium; hæc in forma emulsionis adhibentur. Glutinosa seu mucosa,—hujusmodi sunt, decocta ex althæa, ex lini seminibus, ex hordeo, acacia Arabica aqua soluta, et his assimilia. Dulcia—sunt, mel, glycyrrhyza, saccharum.

Opium.—Ex Opio præparata in primo stadio Pneumoniæ, signa vehementiora reddunt, et igitur periculosissima. Quum autem missione sanguinis et exulceratione, inflammatio, dolor et spirandi difficultas remiserunt, opium auxilium validissimum est, ad mitigandum tussim, et conducit ad quietem, et eo modo ad curationem multum confert.

Expectorantia—medicamenta sunt, quæ ex-screationem a pulmone et aspera arteria promovent. In Pneumonia ex iis quæ usurpantur, sunt scillæ maritimæ radix, ammoniacum, mistura mucilaginosa, et inhalatio vaporis aquæ tepidæ; omnium talium remediorum fere optimum est, et etiam cum minimo periculo in hoc morbo ministratur.

Ad sudorem promovendum, antimonium variis modis confectum, accipi potest; et simul ad eundem finem, æger libere diluentibus et pediluvio uti debet. Doctor HAMILTON de Ipswich, se sub-muriatem hydrargyri et opium conjuncta, interdum commode adhibuisse memorat.

Regimen.—Ex jusculo vitulino, vel bovino, sago, panada, omnibusque aliis concoctu facillimis, constare debet. Pro potu, lac cum aqua mistum, serum lactis, aqua vel pura vel acido citrico acidula, cerevisia tenuis, multaque alia hujusmodi, ad libitum usurpari possunt.

Exercitatio—levis esse debet, qualisque non debilitet. Vestitus esse debet qualis calorem corporis foveat et sustineat, indusium et tibialia debent esse lanea, cum in regionibus præsertim frigidis, homines opportuni sint pulmonum pleuræque inflammationibus.

FINIS.